

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Sabbati trigesimâ Decembris, anno Domini M. DCC. XLI.

M. GASPAR COCHON DUPUY, in Arce Maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professore Regio, Doctore Medico, Præside.

An in ipso exortu febrium intermittentium statim ut plurimum Kinakina?

I.



IN rerum naturâ generatio omnis parvis ac debilibus principiis incipit, crescendo roboratur: rerum verò quæ secundum naturam generantur, & earum quæ contrà aut præter naturam fiunt, par debilis ortus, diversa tamen accretionis progressio, cum una quæque ad modum & robur speciei suæ capiat incrementum. Vegetabilium omnium, tum robustiorum arborum, tum plantarum delicatiorum germina disrumpas levi unguis ictu. Nec solidiora sunt animalium prima stamina, Leonis aut Elephantis æquè ac Pulli vel Agni ovula fœcundata minimâ vi possis conterere. Ita morborum initia primaque rudimenta parva sunt & debilia, quæ facili negotio possumus diruere. Sed ut plantarum & animalium, sic morborum principia diversa ad normam speciei suæ adolescunt. Quædam viribus suis & ferociâ, naturæ auxiliis, medicamentorumque potestatibus superandis paria evadunt. Quædam in leves, transitorios & periculi expertes affectus desinunt. Cum igitur morborum omnium parva sint initia, & quæ possint facilè dissolvi; maximè interest ut medici invigilent perquirendis & cognoscendis magnorum præcipuè morborum principiis, ut maturè adhibitis auxiliis, eorum incrementi & summæ vehementiæ pericula prævertant. Sic in Plethoricorum repentinâ vertigine, adeoque ruentis ad Cerebrum sanguinis impulsu primo, largâ venæ sectione imminentibus Apoplexiæ gravissimis periculis prospi-

citur. Sic in ſubito & acriter punctorio lateris dolore, venæ ſectione ſtatim adhibitâ, tum & potentibus admotis lateri reſolventibus, impactus membranæ coſtas ſuccingenti paucus rodens humor tollitur, atque inflammatio quæ Pleuritis eſt, præciditur. Sic in renum gravitate obtusâ, urinis terreo-ſalinam hypoſtaſim vehentibus, apto regimine & laxantibus, ſed maximè uſu aquæ puræ, vel levis infuſi foliorum Thé aſſiduò, jugiter foras amandantur tenues arenulæ, eâque ratione doloris Nephritici & ipſius veſicæ calculi cauſa eliminatur, dum neque craſſa arena in ureteribus, neque nucleus in veſicâ uſquam compingitur. Sic in Chirurgiâ, avulsâ ſpinâ partem nerveam pungente, vel emiſſâ rodente ſanie per maturam Panaritii apertionem, inflammatio, febris, delirium, abſceſſus, gangrænaque ipſa præcavetur. Eodem ſanè ſucceſſu febrium intermittentium labores, diuturnos languores, & ſæpè funeſtos exitus præcavebis, dum cognitis earum primis initiis ibis obviam.

II.

INTER morbos quibus genus humanum conflictatur frequentiſſimæ ſunt febres intermittentes, quæ ſcilicet ſtatis temporibus quieſcunt & recurrunt. Notæ ſunt variæ earum periodi. Harum alia tertiana, alia quartana, alia quotidiana; eſt & febris tertiana duplex, quartana quoque duplex triplexve. Nota ſunt & varia earum ſymptomata, pro ratione periodi diverſæ, temperamenti ægrotantis, & tempeſtatis anni. Omnis tempeſtas febribus intermittentibus eſt obnoxia, frequentiùs tamen æſtate & autumno ſæviunt. Vere brevioris ſunt durationis & facilioris curationis, æſtate vehementiores, autumno longiores, pervicaciores, ſæpè lethales. Tertianæ ver, duplices tertianæ æſtatem & autumnum, quartanæ autumni finem & hiemem affectant. Harum omnium, jam plurimis paroxyſmis firmatarum curatio, uſu recepto, Medicis objicitur, cum turbatâ animali œconomiâ universâ, non febri ipſi, ſed ſymptomatis occurrendum eſt, incumbitque Medico ſanguinis impetum frangere, & feras cordis vaſorumque omnium oſcillationes vibrationeſque pacare venæſectione, deìndè Cacochymiæ proventum appoſitâ Catharſi eliminare, antequam ad ipſius febris curationem accedere audeat. Longè citiùs, tutiùs, jucundiùſque res ægrorum procederent, ſi Medicus maturè conſultus, ad febres naſcentes, vel ſaltem ad primam febrium acceſſionem vocatus, non motum ſanguinis ferum, non humorum turbas, non corporis totius præcipuèque capitis dolorem, ſed febris prima nudaque rudimenta inveniret oppugnanda. Febrium autem intermittentium ortus imminens manifeſtis his ſignis ſe prodit: anxietatibus quandoque periodicis, corporis habitûs: ſomno irrequieto: tranſitoriis articulorum doloribus quaſi vellicatoriis: apicis linguæ ſiccitate aſperâ: ventriculo fatuo & inappetente: alvi perturbatione & libertate modicâ & ingratâ: excretionum alvi colore minùs ſaturato: urinarum inſolito rubore & calore. Omnia hæc vel eorum plura ſi contingant, præcipuè graſſante febrili intemperie, febrem inſtare certò denunciant. His ſignis & ſymptomatis vides conſuetarum per quas ſtat ſanitas evacuationum perturbationem, eamque in ventriculo, inteſtinis & hepate, cujus cauſam in aëris intemperie, fructuum horariorum uſu immodico, gulæ intemperantiâ, maximè autem in inſenſibilis perſpirationis conſtanti regulâ interruptâ, poſitam reperies, cujus magiſtræ & principis ad ſanitatem tuendam ſecretionis regreſſus, ſtatim ventriculo & inteſtinis & ipſi hepati incumbit, chyli elaborationem turbat, ſalivalis liquoris craſim immutat, bilis ſecretionem moratur atque alieno ſero inficit. Undè enim in paroxyſmis febrium tam ſæva hypochondriorum ſymptomata; tot anguſtiæ, cardialgiæ, defectiones animi, nauſeæ, vomitus, niſi ab intercepto vel tardato æſtuoſi ſanguinis motu per venam portarum in maximum hepatis viſcus, ad bilis ſummè utilis tranſcolationem? Hic mirabimur, tantum viſcus & tanto apparatu circumdatum, in explanandis febrium rationibus ferè mandatum oblivioni, cum ſanguinis & bilis trajectus per magnum hepar interturbatus, Epiploi, Ventriculi, Pancreatis, Lienis & inteſtinorum venas, ſanguinis ad portam reflui regurgitatione oneret & impediat, arteriasque omnes horum viſcerum agat in furorem. Indè ſanè nervorum Erethiſmus, & immania ſymptomata, donèc devicto obice, ſanguinis libera progreſſio fuerit reſtituta.

III.

DUM febris intermittens in ſupra notatis prænuntiis verſatur, in ipſis cunis venit extinguenda. Id certè præſtat Kinakina, cortex ſcilicet arboris Peruvianæ, quæ meritò arbor vitæ dici poteſt, remedium mirabile quod ſolum febrifugi nomen meretur. *Sponte naſcitur in Americæ Meridionalis regione Peruviâ dictâ, prope Loxam ſeu Loiam, in montibus qui hanc urbem cingunt, ſexaginta leucas ab urbe Quito. Eligatur cortex peruvianus admodùm ſiccus, foras ſcaber, fuſcus, aliquando muſco caneſcente obductus, fiſſuris circularibus leviter inciſus, intus ruſeſcens vel rubens, ſeu colorem cinnamomi viſui referens, ſapore non ingrato & aromaticè amaro, odore quaſi mucido leviter aromatico, dentibus attritus friabilis, non viſcidus & glutinoſus, non ligneus, non effœtus & annoſus, non inſipidus, non adulteratus quocumque alio cortice ſucco aloes intinctо. Vis febrifuga hujus corticis jàm diu Indis innotuerat, cum Europæi ad has regiones pervenerunt. Verùm ex odio Indorum erga Hiſpanos Peruviæ domitores concepto magnum hoc remedium de induſtriâ*

Ex Stephani Geoffroy materia Medicâ.

celabatur usque ad annum 1640, quo Loxæ Præfectus de quodam Hispano benemeritus gratitudinis causâ hocce remedium accepit. Paulò post in urbe Limâ uxor Proregis febre tertianâ sævissimâ correpta funestè decumbere videbatur, quæ Præfecti Loxæ consilio corticem præparatum sumpsit, & stupentibus omnibus statim convaluit. Discedente autem Prorege ex Indiâ ubi in Hispaniam reversus est, illicò percrebuit rumor de novo hoc febrifugo, quod post experimenta frequenter facta votis ægrorum semper & ubique respondebat. Quin & Pater provincialis Societatis Jesu in Americanis Regionibus, in Italiam redux magnam hujus corticis copiam secum attulit, quem ope Patrum sui Ordinis per totam Europam notum fecit & sparsit. Undè apud Anglos Jesuitici pulveris nomen retinet. Novum hoc remedium suis ipsis stupendis ac inauditis effectibus, initio popularibus, Medicisque etiam suspectum habitum, paulatim innumeris felicibus experimentis fiduciam meruit publicam; sed quæ nec adhucdùm universalis est. Febris causam, inquiunt, non fugat, sed intus figit, paucos post dies aut hebdomadas, cum symptomatis acerbioribus recrudescentem. Motum sanguinis efferum ociùs sistendo, lethales morborum repentinorum causas parat. Infensus est ventriculo: Pectus lædit: viscera obstructionibus infarcit. Quæ exprobrationes omnes tribuendæ vulgaribus præjudiciis quidem, sed & quibusdam Medicis stupentibus antiquas curandi febrium rationes, tot laboribus & vigiliis conquisitas, adventu simplicis hujus medicamenti, deinceps irritas futuras. Kinakina stomachicum amarum eximium, non figendo curat, sed corrigendo febrilem humorem, eumque laxato viscerum Erethismo, eliminando per alvum, per urinas, per sudores, maximèque per insensibilem halitum. Recidivarum causâ est parcus & timidus corticis usus, qui si per aliquot hebdomadas confidenter sumatur, febres non recurrere, experientiâ demonstratum est. Periculosas œconomiæ animalis turbas, cum accidunt, non remedio sed Medentis incuriæ referimus qui plethoricis & omnium humorum colluvie farctis, febribusque etiam inflammatoriis illud adhibet, neglectis necessariis omnis generis vacuationibus. Neque Pectori, neque Stomacho infensum est medicamentum illud, quod maturè adhibitum à pulmonis exitio & à ventriculi ruinâ, consuetis febrium sibi permissarum finibus, certò præcavet: præcavet & à viscerum obstructionibus quæ diuturnas autumnales febres perpetuo subsequuntur.

IV.

VERUM injustas omnes has objurgationes amoliri, vimque verè specificam mirabilis hujus corticis febrifugi nitide cognoscere facilè est, si statim ab initio & in primis febrium intermittentium motibus adhibeatur. Modum quo febrium causas demolitur vix possumus percipere inter perturbationes & multitudinem symptomatum in febribus formatis, plurimisque accessionibus confirmatis: sed in earum prænuntiis, vel exortu, aut iis unius tantum paroxysmi commotione constantibus, intermissione nitida superveniente, corticis agendi rationem & febrem fugandi modum dilucidè conspicies. Ut primùm ventriculus vim ejus sentire incipit, turbantur intestina leni murmure, sequitur mox alvi fluxus moderatus, commodus, non acerbus, quo febrilis humor qui in primis viis adhuc commoratur, blandè abripitur: ut videre est in fluxibus alvi morborum judicatoriis, cum natura nocivum humorem coctum & fluidum factum, quasi seligit & foràs amandat, cum ægri præsenti levamine & sensu quodam delectationis. Hîc singulari animadversione notabis, atque indè cognosces, specificam medicamenti potestatem adversus febrilem humorem, corticem Peruvianum primis tantùm diebus alvum movere, usquedùm ventriculus & intestina inimico humore libera evaserint, quo facto alvum stringit, simul ut nihil restat exturbandum. Specificâ hâc purgatione, stomachus restituitur, lingua humescit, redit appetitus, urina colorem saturatum, caloremque acrem & urentem deponit, dolores anxietatesque membrorum desinunt, nocturnus corporis halitus cum amæno tepore, somno tranquillo expirat, nec ampliùs se prodit febris. Equidem consuetus hic corticis febrilem humorem per alvum eliminandi modus perpetuus non est: cum autem non accidit urinæ dilutioris libertate restitutâ, atque auctâ perspiratione apertè compensatur: Unum tantùm ignotum manet, nempè quænam febris, an tertiana, an quartana, an tertiana duplex futura fuerit. Neque mirum videri debet corticem Peruvianum febres omnes intermittentes exorientes, vel etiam uno paroxysmo exortas æquâ vi profligare, cum sit earum omnium adultarum certum & exploratum Alexiterium, quod dum eas orientes extinguit, sæva symptomata, diuturnitatem & languores quos post se trahunt, præcidit magno ægrorum emolumento; impedit enim quominùs febrilis humor quasi fermentum multiplicetur, corpusque universum invadat pervadatque, iteratis paroxysmorum succussionibus functiones omnes naturales, vitalesque invertat, oscillationum cordis & vasorum omnium ordinem constantem perturbet, liquorum tandem omnium qualitates corrumpat & pessumdet, nullâ secretionum remanente integrâ. Potens est quidem malignus ille febrilis humor etiam mole minimâ, potentiori tamen specifico Peruviano maturè exhibito cedit, tuncque parva dosis medicamenti parvam veneni febrilis quantitatem domare valet & expungere, quod dosi majori etiam per plures dies exhibita non efficit, si pluribus accessionibus multiplicatum fuerit & expansum. Magnam vim habere febrile venenum sub mole minimâ, patet-

insidioso febrium oriendi modo, minimis que initiis quibus parant exitiale incendium, quod virus, ut Natura victrix, faventibus Vere & Æstate separando & paucis eruptionibus Erysipelaceis ad nares & labia expungendo, extinguit, ita cortex Peruvianus pauco pulvere illud immutando & abigendo confestim sedat.

V.

QUAM latè pateant corticis Peruviani vires, quis sit potior ejus exhibendi modus pro variâ febrium naturâ, variisque earum symptomatis & circumstantiis temporum morbi & idiosyncrasiæ ægrotantium, quâ formâ præscribendus est, attentâ, studiosâ & ingeniosâ observatione tandem ferè omninò compertum habemus. Id solum ab Indis accepimus corticem Kinækinæ pulveratum duarum drachmarum pondere febres intermittentes tollere. Initio una tantum dosis pulveris ineunte febris paroxysmo adhibebatur. Paroxysmus indè sequebatur vehementior, sed qui finem imponebat febri, sæpè post aliquot dies vel hebdomadas redituræ, Lignei pulveris, ejusque effectus inaudiri metus tantus erat, ut tunc nequidem cogitatum sit de ejus usu continuando ad reditus febrium præcavendos. Unus Eques Talbot Anglus ausus est usum hujus medicamenti continuum præscribere, sublato terrore periculosi pulveris, cui sufficiebat infusionem corticis ritè pulverati in vino roseo generoso, quam apprimè decantatam quater unâ quâque die propinabat. Hâc arte fiduciam febrifugo restituit, quam Rex verè Magnus Ludovicus decimus-quartus suo ipsius exemplo, suâque erga Anglum munificentiâ firmare dignatus est: & reverà vini hujus usu per sex hebdomadas continuas nusquam deinceps febres recurrere visæ sunt. Comparatione autem factâ operationis crudi pulveris cum infusione ejusdem, facilè fuit advertere pulverem citiùs jucundiùs que febrem comprimere, cum infusio spatio tantùm trium quatuorve dierum, conversâ in lentam continuam febre intermittente, duceret ad *Apyrexiam.* Tunc abjecto lignei pulveris terrore, ad usum ejus continuum confidenter ventum est, interjecto dosibus, ad subsidium stomachi, alimento, quod etiam immediatè post medicamentum utiliter ingeritur. Prætereà cortex febrifugus qui pervicacibus quartanis febribus fermè destinatus erat, factus est omnium febrium intermittentium familiare remedium, quin & efficaciter, cautè tamen, datur febribus Æstivis sub intrantium paroxysmorum ratione continuis. Vetustas & degeneres febres, in varios languores quasi permutatas, occultas in visceribus intimis perquirit & expugnat, ita ut ejus solius ope videamur quandoque Phthysim, Rheumatismum, Cachexiam, Hydropem ipsum Anasarcam, suaviter & quasi miraculo percurare. Eo tandem experimentis deventum est ut in morbis compositis, in quibus intermixta febris intermittentis suspicio est, & in ipsis quoque febribus intermittentibus malignis symptomatibus implicitis Kinakina Stomachicis, Cardiacis, Pectoralibus, Aperientibus, Hypnoticis, habitâ circumstantiarum ratione feliciter misceatur. Denique, experimentali, rationalique exploratione novimus, corticem hunc Peruvianum eo celeriùs mederi febribus, quo sunt recentiores; earumque sive in prodromis symptomatis prævisarum, sive unâ accessione constantium, venenum, citò tutòque extinguere & foras amandare. Undè perspicuum est vim illius specificam verè febrium sedativam esse, quâ compresso atque eliminato febrili veneno vim systalticam vasorum componit, humorum impetum frangit, functiones omnes viscerum restituit, solidorum & fluidorum æquilibrium in pacatum ordinem reducit; advertendum tamen sedulo saluberrimum hoc remedium sic tutissimè succedere in sobriis tantum modo & nitidâ valetudine gaudentibus, atque adeò neque Plethoricis, neque Helluonibus, neque Causariis, neque Cacochymis, absque prægressis necessariis phlebotomiis, purgationibusque esse adhibendum.

Ergò in ipso exortu febrium intermittentium statim ut plurimùm Kinakina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Joannes Midy.*	M. *Michaël-Josephus Majault.*	M. *Ludovicus - Joannes le Thieullier, Regis Consiliarius & in Majori Consilio Medicus ordinarius.*
M. *Joannes-Jacobus Belleteste.*	M. *Antonius Ferrein, è Regiâ Scientiarum Academiâ.*	M. *Nicolaus le Roy de S. Aignan.*
M. *Michaël-Philippus Bouvart.*	M. *Bartholomæus Murry, Chirurgiæ Professor designatus.*	M. *Urbanus Leaulté, Antiquior Scholæ Magister, Exdecanus & Academiæ Censor.*

Proponebat Parisiis FRANÇISCUS-DAVID HERISSANT, Rothomagæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.